

autem disputatione illud semper servandum est, ut vel illi nostra principia convellant, vel simul nobiscum admittant. Generatim autem loquendo, sensus figuratus argumentum planè demonstrativum non conficit. Textus adhibendi sunt expressi, literales, in quibus explorata omnia. Quamquam traditione & consensu veterum Hebræorum, vel similibus accedente, ex figurato etiam sensu non spernenda saltem contra Hebræos argumenta deducuntur. Pari etiam privilegio, cum expositio aliqua allegorica in Veteri Testamento à Jesu Christo vel Apostolis adducta legitur, non infimum autoritatis pondus obtinere censenda est; quemadmodum etiam non aliud est iudicium ferendum de consensu unanimi SS. Patrum, cum ora-

culi alicujus sensus ad dogma, sed spirituali & figuratâ locutione, refertur. Ita nullum est in Veteri Testamento expressus Vaticinium de futura Messia post tres dies ab obitu resurrectione, quam Jonæ in ventre ceti historia; quamquam hæc ad resurrectionem Jesu Christi nonnisi figuratâ expositione trahuntur. Sed huic figuræ certam assertamque autoritatem vindicat non traditio Judæorum tantum, sed & expressus Jesu Christi & Apostolorum, ac tandem unanimis SS. Patrum consensus. Sunt igitur moderato quodam temperamento accipienda, quæ vulgato omnium sermone feruntur, nimirum allegoricum sensum conficiendis demonstrativis argumentis ineptum haberi.

IN ISAIAM PROLEGOMENON.

Quatuor majorum Prophetarum primus Isaias, è tribu Juda & è genere Regali David, patrem habuisse ferunt Amos filium Regis Joas, & fratrem Amasie Regis Juda. Addunt insuper alii, Isaiam filiam suam locasse Manassi Regi Juda (a). Rabbini constitutam à se regulam secuti, Patres nempe Prophetarum, cum proprio nomine in Scriptura exprimuntur, simili cum filio privilegio donatos fuisse, putant Prophetæ Isaiæ parentem Amos Prophetæ munere claruisse (b). S. Augustinus de Civit. lib. 18. cap. 27. alique nonnulli censent, Prophetam Amos ipsissimum fuisse Isaiæ parentem; quorum tamen opinioni ne assentiamur facit diversa scribendi ratio, qua duo illa nomina exprimuntur (c). Sicut etiam quod de Amos Prophetæ, Isaiæ cœvo, animadvertimus; nimirum nonnisi biennio ante eundem Isaiam Prophetam agere coepisse, si vera sint ea quæ de epocha initi muneris ab Isaiâ cum anno 25. Ozie componenda feruntur; exordium enim prophetandi duxit Amos biennio ante terræ motum sub Ozia (d); nempe anno 23. ejusdem Regis.

Sunt etiam qui maluerint, Isaiam alterum hunc Prophetam tempore prævertisse; credunt enim, eam, de qua in fine capituli primi Isaiæ, siccitatem, apud Amos etiam tamquam rem, quæ exacto retro tempore contigerit, descriptam legi. S. Hieronymus ad Damas. de Seraphim & Calculo, post Eusebium Cæsariensem Comment. in Isai. 6. insinuare videtur, Isaiam tamdiu à fundendis oraculis abstinuisse, quandiu Rex Ozias leprâ percussus, in poenâ (e) audaciæ vixit; sed & idem alibi apertissime asserit (*), quinque prioribus Isaiæ capitibus Oracu-

la contineri sub Ozia prolata; sicut & sextum ea complecti, quæ emortuali ipsius anno ab eodem Propheta annunciata sunt. Nobis ea sedet opinio, exordium ejus Prophetæ componendum esse cum initio à Joathan Regno, statim post obitum Ozie; inceptumque munus continuasse sub Achaz & Ezechia, spatio circiter 62. sive 63. annorum. Joathan 36. annis regnavit; totidem Achaz; & Ezechias 29; qui annorum numerus summam conficit 61. annorum. Ejus obitum consignamus ad annum primum vel secundum Manassis.

Duo fuerunt Isaiæ filii, quos ambos figurato nomine appellavit, priorem nempe Scar-Sasub, nempe reliquum redibit; alterum Chaf-bar nempe festina prædare (f). Fœminam nomine Prophetissam duxit (g); quam eodem cum viro Spiritu prophetandi donant Rabbini. Longo annorum spatio prophetavit Isaias, nempe 90. annis, juxta Chronicum Alexandrinum, exordio facto ab anno 25. Ozie (b), & clauso cum vita munere anno secundo Regni Manasse, à quo scilicet Rege neci traditus fuit. Sed hæc temporis adscriptio- nes incertæ omnes. In capite sexto Isaiæ historia legitur missi ad prophetandum viri, apposita temporis notâ, nempe ipso obitu Ozie anno; ex quo insinuat, nunquam ante illud tempus ad prophetandum virum illum accessisse. Quare ab ea epocha exordium muneris Isaiæ ducendum censuerim, ea, quæ quinque prioribus capitibus leguntur, ad primum annum Joathan Regis Judæ referens. Quæ ab eodem Propheta deplorantur mala, quæque Regnum Juda-depopulabantur crimina, tempus designant exeuntis Ozie Regni; tempus scilicet Regno Judæ iniquissimum. Legimus 4. Regum 15. 37. sub Joathan Rege duos simul exercitus, nempe Phacee Regis Is-

a Hieron. in Isai. 1.3. c. 20.

b Vide Hieron. plur. in loc. & maxime in Isai. 37. 2. & 38. 1. Epiph. de vita, & morte Prophet. & Clem. Alex. Stromat. 1.1. c. Hamoz. Pater Isaiæ. Amos Prophetæ. d Amos 2. & Zaccha. 11. 5.

e 2. Par. 26. 20. 21. * In Isai. 6. init.

f Isai. 7. 3. & 8. 1. g Isai. 8. 5.

h Ita Hebraiz Hieron. in Isai. 7. & aliz passim.

rael, & Rafin Regis Syriæ, totam illam regionem miserandum in modum depopulatos fuisse; sed hæc ad exitum Regis illius, non ad exordium pertinent. Bello etiam afflictus legitur 2. Par. 27. 5. 6. ab Ammonitis, qui excusso jugo, uti facile credimus, ab illo defecerant.

Tota Prophetia Isaiæ series in octo partes commodè dispescitur. Prima omnes complectitur prophetias ad Regnum Joathan filii Ozie Regis Juda pertinentes. In primis sex capitibus, sermone unica & continuatâ serie junctum continentibus, acriter invehitur Propheta in Hebræorum crimina, quorum merito mala in illos divinitus imminere prædicit, vastandumque annunciat Regnum Israel: ac tandem post dissolutam sævam tempestatem, sperandam monet tranquillum Regni statum. Porro Regnum illud Ezechie fuit, expressa Regni Jesu Christi figura.

i Isai. 3. & 8. 3.

k Isai. 9.

l Isai. 10.

m Isai. cap. 11.

n Cap. 12.

o Isai. 13. 14.

p Cap. 14. 29.

q Cap. 15. & 16.

r Cap. 17.

s Cap. 17. 3. & 19.

t Cap. 18. & 19.

u Isai. 14. 28.

ultione. Capita 27. & 28. continent minas in Reges Babyloniz, & Egypti, qui ambo Hebræos afflixerant. Oracula de reitu Juda, & Israel, sicut & Rege pio atque sapiente, sub obtentu pretiosi lapidis in fundamentis Sion locati designato, Isai. 20. 1. Poërema hæc Oracula pronuntiavit Isaias post deletum Sennacheribum, & post annum 17. Ezechie. Hic finis partis quartæ ejus prophetiæ.

Eodem tempore sub Rege Ezechia quinta pars exorditur, versaturque in bello Sennacheribi contra Judæam. Componenda autem videtur cum anno 12. Ezechie, secundo ante susceptum bellum (x).

Primò igitur Propheta, verso in Jerusalem stilo, Urbem inundaturum denunciat armorum torrentem, atque arctissimâ obfusione premendam, cujus tamen exitus multo futurus esset quam exordium felicior. Vitio vertit Ezechie, quoddam ad Egyptios conversus potius quam ad Deum, opem illorum contra Assyrios implorasset (y). Quare furorem in se Domini Judæos concitasse, quippe qui in Egypto duxerint confidendum; quamquam ad Deum redutes læta omnia sperare pollicetur (z). Post confectum bellum lætam orituram in Regno Ezechie prosperitatem, justitiam, & pacem (*). Invehitur in Sennacheribum, & quæ cum illo conspiraverant, gentes (a). Portandam esse Idumææ poenam de sua in fratres Judæos sevitiâ (b). Succedit in capite 35. tanquam epilogus univèrse hujus prophetiæ, addito veluti Cantico, quò læta omnia Judæ promittuntur. Accedunt his omnibus quatuor capita prorsus historica, totam historiam eorum, quæ in superioribus ab Isaiâ prædicta sunt, complectentia (c); quæ sanè adjecta credimus sive ab Authore, sive ab aliis, qui ejus Opera recensuerunt.

Sexta pars vel sextus sermo, qui in eo Libro instituitur à capite 40. usque ad 45. totus est in demonstranda Dei & Religionis Hebræicæ veritate, sicut & falsitate superstitiosis Idololatriæ (d). In libertatem & salutem restitutum Deum populum suum captivum pollicetur. Annunciat adventum Christi ejusque dilecti famuli (e); à quo sperari jubet, ut relevato electo populo suo, Idololatria eternâ confusione opprimatur. Quæ sequuntur capita 45. & 46. & 47. & 48. tamquam ejusdem orationis pars habentur; cum Isaias & Cyri Regnum annunciet, & liberationem populi, sicut & exitum Bel, Babylonis, & Idolorum, & Judæorum reditum, quæ sanè omnia non Idola quidem, sed Deus præstabit. Quare Dei summam potestatem summis laudibus relevat; sicut & Idololatriæ vanitatem verbis veluti depingit.

Post caput 49. usque ad 56. 9. Isaias, veluti Messia figura, destinatum se divinitus ab ipso matris utero ad prophetiæ manus narrat; addit missum se à Deo non ut annunciet tantum exitum Jacob è captivitate, sed etiam gentium salutem, & ab errore respicientiam. Quanta autem affluget lux felicitatis Jerusalem post captivita-

x Isai. 29. 1. Addit ad annum; Solemnitates evolutive sunt &c. Isai. 31. 10. Post dies, & annum vos conturbabimini.

y Isai. 29. & 30. z Isai. 31.

* Isai. 32. a Cap. 33. 34. b Isai. cap. 34. 6. &c.

c Isai. 36. & 37. & 38. & 39. Quatuor ista capita à cap. 18. & 19. & 20. quarti Regum totidem ferè verbis descripta sunt. d Isai. 40. & 43. 11. 12. & 44. & 41. & 44. e Cap. 42.

f Isai. 50.

g Cap. 50. 4. &c.

h Cap. 51.

i Cap. 52.

k Cap. 53.

l Cap. 54. & 55. & 56. i. 3.

m Isai. 56.

n Isai. 56. 9. &c. & 57. 1. &c. o Cap. 58. & 59.

p Cap. 59. 20. 21.

q Cap. 60.

r Cap. 61.

s Cap. 62.

t Cap. 63.

u Isai. 64.

vitatem! Si quid malorum perpeffus est Judas, id criminibus suis ferat accepto (f). Prosequitur deinde persequutiones & mala, quæ ipse, figuram gerens Christi Domini, à Judæis in prædicationem suam iniquioribus passus est (g). Luctu oppressam Sion solatur, constantem felicitatem annuncians, simulque omnem transferendum in adversarios luctum prodens (h). Apertissime, & sine ambagibus loquitur de egressu Judæorum à Babylone, excusso Assyriacæ servitutis jugo (i). Incredulum populum suum suggillat, atque inferenda Messæe mala omnia depingit (k); quamquam, ait, ab illo unico salus est attendenda. Stylum deinde occupat (l) in describenda prosperitate Sionis, tamquam figuræ Ecclesiæ; iterumque futuram gentium conversionem pollicetur. Quas habeant dotes illi, quibus felicitas promissa est, omnes describit; nempe quicumque legi Jesu Christi morigerum se in omnibus præbuerit, ille, cujuscumque tandem conditionis fuerit, bonis omnibus cumulabitur (m). Hæc summa eorum, quæ continentur in septimâ parte Operis: facilè ad idem Ezechie Regnum pertinent.

Omnium postrema pars occupatur in adventu Messæe, reprobatione Judæorum, & Ecclesiæ constitutione; quidquid tandem in Israele implendum fuerat post solutam captivitatem usque ad planè constitutam Ecclesiam, id totum Isaias profequitur. Exordium sermonis facit ab invadiva in Duces & Pastores Juda, canes mutos & vigilas cæcos (n); quibus proinde furorem Domini denunciatur. Virtus vertit populo & hypocritam, & calumnias, & divisiones (o). Quid efficiat Deo accepta jejunia, & Sacrificia, demonstrat. Venturum pollicetur Servatorem, qui criminibus omnibus expiatis, sanctitatem, atque fidelitatem adducet in populum (p). Hujus autem Liberatoris verbis magnificis adventum describens, in occursum ejus venturas dicit universas orbis nationes; qui enim eâ datâ occasione Jerusalem sive ad Ecclesiam se conferre abstinerit, ille in se mala omnia provocabit (q). Munera omnia exhibet divini hujus Servatoris, ejusque Ministrorum, sicut & Regni ipsius felicitatem [r]. Quare, ait, nunquam à clamando cessavero, annunciandoque Justî seu Messæe adventu, nisi cum primùm impleta hæc omnia videro; cum scilicet felicitate, & benedictionibus Jerusalem universa exundabit (s).

Videre sibi videtur Messiam victoris more ex Idumæa venientem, tintum sanguine purpureum paludamentum trahentem (t). Veniat, rogo, strenuus ille ductor, veniat suppetias populo suo laturus, populo, inquam, suo summis calamitatibus oppresso; Jerusalem everfæ & desolatæ & Templo igni vastato (u). Insinuare videntur hæc omnia iniquissima illa sub Macchabæis tempora, sicut & in eodem capite designari Antiochi Epiphanis persecutio & liberatio Israelis à Juda Macchabæo procurata. Roganti Prophætæ Dominus respondit, sceleribus se populi sui provo-

catum justo in illos furore exafuisse (*); quare rejectis illis, convertisse se ad aliam gentem, alienam antea, modò fidelem & domesticam. Omnia tamen prospera sperari jubet in Jerusalem. Tandem prophetiam suam claudens Isaias, & reprobationem Judæorum & Sacrificiorum, atque rituum legalium vanitatem indicat (y); magis enim Deum delectari dicit earum virtutum, quas enumerat, oblatione. Iterum deinde Domini adventum, Gentium conversionem; obstinatorum Judæorum mala annunciat; simulque Ecclesiam Jesu Christi describit sub figura Jerusalem restitutæ, quò in cultum Domini omnes undique gentes conveniant.

Hoc prophetiæ Isaiæ systema est universum, cujus sex priora capita ad Regis Joathan, totidemque sequuntur, ad Achaz, reliqua ad Ezechie tempora consignantur. Illud potissimum præ oculis habuit Propheta, ut scilicet captivitatem Babylonicam, & reditum præannunciaret; ad hoc enim potissimum destinatum se noverat; quippe quæ duæ essent apertissima figuræ, experimentes generis humani lapsus in peccatum, & futuram per obitum Jesu Christi reparationem. Ad id maneris destinatum se à Domino, ad quod antea nemo, narrat Propheta, ut captivitatem Babylonicam, & ab ea liberationem Judæis prædiceret (z). Nec sanè parùm juvat, quò ejus Vatis prophetiæ omnes jungantur conferanturque, ut universum ejus operis systema atque partis cum partibus affinitas explorata habeatur. Ingenue enim fateamur oportet, nihil magis obtulisse, ne Oraculorum sensus pervaderetur, quàm quòd partes à partibus nimium haberentur distractæ, & singula seorsum inspicere, pro eo quòd uno simul intuitu omnia ponerentur sub oculis. Semper enim ac obiectum per partes spectatur, vix satis justa de illo formaretur idea. Omnia priùs simul juncta consideranda sunt; deinde singula inspicenda; ita enim pars partem illustrat.

In Oraculis ad Regnum Joathan, Achaz, Ezechie, Captivitatem Babylonicam, & liberationem per Cyrum pertinentibus unice spectatus est à Propheta Messæe adventus, atque generis humani redimenda captivitas. Eò colligunt omnia, idemque unicus finis prophetiæ ipsius universæ constituendus: quo amoto, obscura omnia; minæ ejus factæ, promissiones, atque expressæ vividis coloribus picturæ omnes, seu vero majores sunt sive minores: justæ tantùm & ad literam cum Jesu Christo, ejus Ecclesiæ, obitu, morte, passione, & victoriis ipsius quadrant; ceteris omnibus non nisi figuratâ quadam Tryphon. loquutione convenirent. Plus eo Prophetâ, quàm cæteris aliis usos fuisse Scriptores Novi Testamenti, S. Augustinus de Civit. lib. 18. cap. 29. observat, cum expressiora habeat Oracula, quorum merito Evangelista potius, quàm Propheta appellaretur (a).

Receptâ apud Judæos, Patrumque Ecclesiæ consensu (*) traditione fertur, Isaiam serrâ dissectum sub initum à Manasse

x Cap. 65.

y Cap. 66.

* Cap. 48. 50. &c.

a Auguf. ibid. Ita ut à quibusdam Evangelistis, quàm Propheta potius diceretur. Hieron. Epist. 117. Idem Præf. in Isai. Sicque exponam Isaiam, ut illum non solum Prophetam, sed Evangelistam, & Apostolum dicam. Vide & Theodoret. Præf. in Isaiam.

* Origenes in cap. 23. Matib. & in Epist. ad Jul. Afric. & hom. in Isai. Tertull. lib. de Patientia cap. 14. & Scorpiac. 18. Justin. contra Chryf. ad Cyriac. Hieron. l. 15. in Isai. Auguf. l. 18. De Civit. cap. 24. Pseudo-Epiph. & Doct. b. de vita & morte Prophetæ. Re-

Regnum interisse. Hanc historiam erasisse à Libris Sacris, tamquam genti suæ invidiosam, Judæos accusat S. Justinus Martyr. Narrant autem, impium hunc Principem ansam parandæ viro neci sumpsisse ex eo, quòd dicentem audiverat Isaiam cap. 6. 1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum; ex quo falsitatis Virum Sanctum Rex arguebat ex eo Moysis testimonio Exod. 33. 20. Non videbit Deum homo, & vivet.

Sed hæc in speciem quidem scelestus obtendit; re enim iniquissimo erat in Prophetam animo, liberius scelera sua castigantem. Exponunt autem de illo, quòd Epist. ad Hebræos 11. 37. legitur: Sæti sunt. Nec Veteres latebat hoc ferræ supplicium (b). Solebant hominem medium ferrare. Ad dunt ex Patribus nonnulli (c), ferram illam è ligno confectam, ut prolixiori scilicet, & sæviori supplicio perimeretur. Vide, si lubet, nostram Dissertationem ad Deuteronomium de suppliciis Hebræorum. Ferunt, viri cadaver sepulturæ datum fuisse sub quercu fullonis sive Rogel, non longè à Jerusalem ad torrentem Siloe, in latere montis Sion. Hæc omnia scimus ab Authoribus parùm assertis, nempe Pseudo-Epiphano, & Dorotheo, qui in eodem loco jacuisse Prophetam suâ ipsorum ætate autumarunt. Reclamant Scriptores alii, contentes diù antea translatum fuisse Panæadem ad fontes Jordanis, unde postea deductum ferunt Constantinopolim, anno 35. Theodosii Junioris, nempe 442. Christi, vel circiter.

Plura de rebus à se gestis Isaias ipse narrat, de se tanquam figuram Christi Domini gerente scribens. Ab ipso igitur matris utero appellatum se à Domino testatur, à quo sive impostum nomen obtinuisse, vel saltem Deo nomen suum succurrisse perhibet; addens accepisse, eodem donante, os velut acutum gladium scindens, & divinâ obumbrante manu protectum, ut sagittam in pharetra, ita se in Domini manu contineri [*]. Et cap. 50. 4. Ego, ait, doctè & copiosè loquendi facultate à Domino instructus, oppressis multorum rebus suppetias ferre aptissimus habeo; apertis auribus ejus instructionem avidè teneo; quò verò tempore ad munus Prophetæ missus sum, vidi Dominum magnifico folio assidentem, Cherubim coronâ circumdatum, terram tanquam scabellum calcantem (d). Quo territus aspectu, vix mihi, dixi, quòd hucusque tacuerim, quòd polluta labia habuerim, atque in medio populi polluta labia habentis sederim; & cum talis ego, Dominum ipsum exercituum meis oculis aspexi. Ita ego mecum ipse querebar, cum unus è Cherubim ex ipso Domini tribunali advolitans, candentem lapidem ex Altaris igne deductum gerens, os meum contigit, simul addens, hujus igniti calculi piamine omnes expurgatas esse sordes, & crimina. Continud Isaias vocis sonum exaudisse se narrat, quarentis eorum virum suo nomine missurus fuisse? Obtulit se statim Propheta, acceptusque, ire jussus est, atque

Differt. Calmet. Tom. I. V v v Nec

denunciare populo, ut audiens non audiret, atque videns non intelligeret. Mandatis etiam oneratus est, cordi hujus populi cæcitatem induceret, auribus surditatem, ne fortè contingeret unquam, ut sive oculis videret, sive auribus audiret, sive mente assequeretur; ac tandem respicientes Deum sibi, invitum licet, propitium efficerent.

Fusè alibi profequitur aspera omnia, quæ sibi à populo fuerunt sustinenda (e); ut corpus traderet percutientibus, maxillas barbam evellentibus, averso sputa vilissimo sustinens; quæ omnia mala ita constanti vultu, Domino virtutem inspirante, sustinuit, ut scopulus esset in mediis fluctibus immobilis. Queritur cum Deo (f), frustra se laborasse, toties verba faciens ad populum pervicacem, & incredulos nactum auditores. Cui Dominus in se tantùm illi esse unice confidendum respondit, à quo suus esset Propheta constitutus, non ad Domum Jacob tantummodo, sed ad universas etiam mundi nationes in viam salutis dirigendas. Addit, (g) Dei Spiritum sedem in se uno constituisse, cujus gratiâ inunctus mortis solandis, spe libertatis relevandis captivis, iisque, qui detinentur in carcere, præannunciando anno remissionis, & diei ultionis exigendæ de hostibus populi Dei, valuisset. In his tamen omnibus de se minùs, quàm de Jesu Christo loquitur Propheta; quippe qui illius, & in persona, & in rebus gestis tolerantisque malis figuram sustineret.

Prætereundum hic duximus, occasione belli per Sennacheribum gesti quæ fuerint Isaiæ in Republica partes, quibus minis Ezechiam terruerit, & quo prodigio obtentam ab Ezechia sanitatem, & obtinendam demonstraret. Satis enim hæc omnia per se exploratissima sunt (h).

Paulò post hæc omnia, incunte Regno post Sennacheribum Assaradone, Isaias jussu Domini, nudis pedibus & sine vestibus (superioribus credo) triennio ambulavit, documentum eâ re exhibiturus, in quas demum grummas deventuri essent Ægyptii, & incolæ regionis Chus, quam Vulgata reddit Æthiopiâ; nos verò designare credimus partem illam Arabiæ ad latus Orientale Maris rubri, Ægypto inferiori finitimam. Hujus historię occasione intelligimus, saccum sive habitum poenitentis vulgarem fuisse Prophete vestem: Solve saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua de pedibus tuis [i].

Cum principibus viris ita agebat Isaias, ut Principatum sentire non videretur. Achaz gravioribus verbis de impietate, & increduli animi pervicaciâ redarguit (k); Ezechiam de implorata Ægyptiorum ope (l), atque de inani gloriolæ jactantia in referendis thesauris suis coram Legatis Regis Babyloniæ (m). Quantâ autem animi auctoritate audaces illos viros Sobna & Eliacin repressit (n)? Paucis verbis eximii viri characteres delineat Eccl. 48. 27. illud de ipso prodens: Spiritu magno vidit ultimum, & consolatus est lugentes in Sion.

e Isai. 50. 60.

f Isai. 49.

g Isai. 61. 1. &c.

h Vide 4. Reg. 18. 19. 26. Isai. 36. 37. & 38. & 39.

i Isai. 20. 1. 2.

3. Tenent multi ita Prophetam tri-duo tantùm incessisse. Vide comment. k Isai. 7. 13. l Isai. 31. m 4. Reg. 20. 12. &c. Isai. 39. 5. 6. n Isai. 22. 15.